

DILUCIDATIONIS
SELECTARUM
SACRAE SCRIPTURÆ
QUÆSTIONUM
TOMUS PRIMUS
AUCTORE
F. MARTINO WOUTERS
ORDINIS EREMITARUM S. P. AUGUSTINI
IN ALMA UNIV. LOVAN. SACRAE THEOLOGIE LICENTIATO
EDITIO SECUNDA EMENDATISSIMA.



PATAVII, M. DCC. XCII.
EX TYPOGRAPHIA SEMINARII
APUD THOMAM BETTINELLI
SUPERIORUM PERMISSU.



T Y P O G R A P H U S

A D L E C T O R E M.



Uæstiones ex Sacra Scriptura selectæ , quas & nos Tibi ,
B. L. , pridem evulgavimus , jam alias impressæ habebantur :
Wirceburgi an. MDCCCLXVIII. ; Coloniæ iterum an.
MDCCCLXXVI. Quæ nos autem movit ratio , ut &
Typis nostris illas excuderemus , non una fuit . Defide-
rabantur exemplaria , cum priora illa deficerent , mino-
rique pretio comparari volebant : Auctoris nomen jam celebre : res
ipsa , de qua agitur ; hæc omnia in causa fuerunt , ut hujusmodi Opus semel
& iterum prodiret . Quam diligentiam in eo edendo adhibuerimus ; quæ-
nam sit externa ejus forma & apparatus ; ipse vides : nos certe nihil
omisimus , quo etiam difficilibus hominibus satisfaceremus : de ipsius ve-
ro Operis pretio liceat & nobis pro re pauca loqui . Illius Auctor est
P. MARTINUS WOUTERS , quem satis jam laudavimus , quum nomina-
vimus . Est ille sacrarum rerum scientissimus , & eruditione eximius ;
in his vero Quæstionibus elucet vel maxime illius ingenium , cura ,
cogitatio , diligentia singularis : omnia ita apte , dilucide , concinne enu-
cleata sunt , ut nemo harum rerum studiosus ad hæc accedat , qui non
sentiat , quid deterso squallore possit hæc Litterarum elegantia . Acre
vero Auctoris judicium ubique se prodit , itaque se rebus accommodat ,
itaque omnia versat & digerit , ut omnium votis possit satisfacere . Nec
enim ipse quamdam veluti Dictaturam gerit , aut de rebus gravissimis
ipse unus sententiam profert , sed Interpretes præstantissimos sequitur ;
sed SS. Patres , Augustinum præcipue , sibi socios adjungit , quasque te-
stes adhibet : Auctoritati suas esse partes vult , suas etiam Rationi ; ita-
que res temperat , ut dubia , si quæ importune suboriri possent , tollan-
tur ; si quæ obscura , luce perfundat ; difficilia , prout patitur rerum
ratio , plana fiant ; abstrusa in aperto ponantur ; incerta quæ sunt , &
quorum anceps judicium est , in utramque partem ita exagitat , ut pos-
sit Lector non tuto solum , sed apte etiam , quod magis libuerit , te-
nere & amplecti . Ea porro brevitate in hisce omnibus est usus , quæ
nec res inobscure possit ; & Lectoris studium magis excitare : estque il-

D I L U C I D A T I O
I N L I B R U M G E N E S E O S A
P R Æ F A T I O .

Liber, quo nascentis mundi primordia narrantur, omniumque ejus partium structuræ atque exornatio describitur, GENESIOS nomen accepit. Si vero a materie dignitate commendetur voluminis alicujus claritudo & nobilitas, præclara fære & eximia est hujus libri materies. Quid enim mundo aspectabili in rebus a Deo conditis, mole majus, varietate admirabilius, specie magnificentius, ornatu elegantius, disertissimo partium omnium ordine, miroque earum inter se quasi concentu quodam, coalescensque venustius? Quid ad ingerendam mortalibus unius Dei notitiam aptius?

Si autem, ut fieri solet, Scriptoris nomen & gloria librum quemdam decorat atque nobilitat, magnum profecto hujus libri est elogium. Moyles namque (ut infra probabitur) ejus auctor est, vir quanto dignior omni laude, tanto omni laude major. Qualis enim & quantus fuerit Moyles, tribus libris prosecutus est Philo Judæus, & uno Gregorius Nyssenus, ubi totius virtutis gesta mirifice ad exprimendos viri perfecti mores transferuntur.

Ex ejus libris manifestum evadit, illum fuisse summum Historicum, sive veritatem, primam Historiae laudem, species, sive longissimi temporis seriem. Fuisse Poetam insignem, probant pulcherrima duo Cantica Exodi 15., & Deuteron. 32. Philosophum fuisse eximium, nemini, qui hunc librum legerit, dubium esse potest: nobilissimam quippe Philosophiae partem, quæ tractat de mundo & homine, de luce & altris, de elementis, & quidquid universi ambitu continetur, in lucem producit. Theologum illum probat sublimis illa divinorum attributorum commendatio. tota divini cultus institutio, & familiarissima cum Deo conversatio: Pontificem summum demonstrat nobis Aaronis consecratio: Legislatorem perfectissimum, Religionis & Reipublicæ Ju-dicæ institutio, quæ omnia ad longum describuntur in Lib. Exodi, Levit. & Num.

In hoc vero libro brevem a mundo condito ad Patriarchæ Joseph mortem Moyles texit historiam, mundi narrans originem, protoparentum lapsum, posterorum Adæ per Cain & Seth propagationem, eorumque ob peccata per aquas Diluvii exterminium, Noe ejusque Filiis ad posteritatis seminarium reservatis. Deinde confusas referit in Babel linguas, Abraham, Isaac, Jacob, filiorumque ejus acta, finitque cum morte Joseph. Nullis autem in hoc opere rationibus aut argumentis utitur ad fidem rebus narratis adstruendam; sed simplici, planaque oratione, ut historicum divinitus inspiratum decet. Quia vero forte alicui (etli infundate) ingeri posset dubitatio, an Moyles Genesim, ceterosque Pentateuchi libros scripsit, autem opinia evincendum est, Moylen esse verum Pentateuchi auctorem. Sit igitur

Q U A E S T I O

P R Æ L I M I N A R I S .

A N M O Y S E S S C R I P S E R I T Q U I N Q U E P R I O R E S
S. S C R I P T U R A E L I B R O S ?

Resp. affirmative, hocque receptissima & perpetua traditione adeo certum est, ut neque Pagani, Judæi aut Christiani umquam moverint controversiam, utrum libri isti Moyli essent adjudicandi: sed omnes eos ut tales suscepserunt & citarunt, ut videre est apud S. Justinum, Ireneum, aliasque veteres Christianæ Religionis Apologistas & Allætatores. Unde & novissime S. Trid. Synodus Seff. 4. illos quinque libros Moyli adscribit. Eadem veritas in ipsa Scriptura manifesta est. Unde

Tom. I.

Prob. 1. ex Exodi 24. ubi v. 4. legitur: scripsit autem Moyles universos sermones Domini. Et Deuteron. 31. v. 9. scripsit itaque Moyles legem hanc, dñi tradidit eam sacerdotibus filiis Levi, qui portabant Arcam Fæderis Domini, & cunctis senioribus Israel.

Prob. 2. ex Josue 1. v. 7. ubi post mortem Moysis populo Israel per Josue Deus præcipit sequentia: Facias omnem Legem, quam præcepit tibi Moyles servus meus.... v. 8. Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias, & facias.